



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXI. Vtrum sumptio constituat intrinsecè hoc sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

nulli Sacramento, sed minime omnium Sacramento Eucharistiæ vlla inest significatio fructus ex inde ad alios, quam suscipientes deriuandi. Nec enim cibus, & potus naturales, qui sunt symbolum profectus spiritalis Eucharistici, profunt aliis, quam manducanti, & bibenti. Ergo quod datur per modum eibi, & potus, cum nulla vtiq; datur significatione, & symbolica proportionem fructus inde deriuandi in alios, præter fumentem. Dictum autem est sæpè Sacramenta non causare, nisi quatenus significant; idque est indubitatum apud omnes Theologos. Certissimum ergo est Sacramentum Eucharistiæ quatenus Sacramentum præcisè est, soli fumentem prodesse ex opere operato.

Artic. 3. Per hoc tamen non tollitur quin, tam istud; quam alia Sacramenta prodesse possint alijs præter suscipientem ex opere operantis. Quia Sacramentorum frequentatio excitat animum ad exercitium plurium actuum placentium Deo, ac præsertim charitatis, & dilectionis erga ipsum Deum, vsque adeo beneficium per Sacramenta. Certum porro est istos actus prodesse posse alijs, tam viujs, quam defunctis, si applicentur illis ab eliciente. Verum in hoc genere præmisset longo excessu Sacramentum Eucharistiæ. Quia propter realem in ipso præsentiam Christi Domini, mouet multo fortius ad actus charitatis, & consequenter ad actus omnium aliarum virtutum; atque iidem isti actus euadunt maioris valoris, & efficaciam ex maiori dignificatione per maius augmentum gratiæ, quod confert hoc Sacramentum vt dictum est supra. Quia propter actus elicti occasione communionis, siue antecederet, siue comitanter, sed maxime consequenter, si applicentur alijs à communicante, siue viujs, siue defunctis; non dubium est quin possint esse magnæ utilitatis respectu eorum. In hoc itaque genere possunt Sacramenta plurimum prodesse alijs à suscipiente, maxime verò Sacramentum Eucharistiæ. Atque per hæc sufficienter exposita, & rectè determinata videtur tota præsentis controuersiæ materia, quod ad rem ipsam attinet.

Artic. 4. Iam quoad modum loquendi, qui in materia Sacramentorum debet esse valde cautus præsertim apud vulgus; quatenus est materia imprimis supernaturalis, simulque est vsui ac proinde, & notitiæ, ac colloctioni vulgari familiariter exposita, atque ob istam mutuan, horum duorum extremorum coniunctionem potest facile serpere error circa rem, ex errore seu improprietate in modo loquendi. Quo ad modum inquam loquendi oportet, ea de causa, obseruare diligenter, ne tribuatur Sacramento, & sic insinuetur haberi ex opere operato, quod reipsa habetur occasione Sacramenti tantum ex opere operantis: Nempè, dum dicitur Sacramentum operari aliquid, prodesse alicui, dirigi in aliquem finem; accipitur de operatione, utilitate, & conducentia in finem ex opere operato; si nihil superaddatur aliud, per quod modificetur locutio, & ad legitimum sensum determinetur. Is namque est modus peculiaris & proprius cuiusvis Sacramenti in operando, proficiendo, & conferendo in finem; atque quod dicitur de re aliqua absolute, & sine addito modicante, accipitur secundum conditionem eius propriam, & peculiarem. Dicendum itaque est absolute cum D. Thoma loco citato, cumque alijs Theologis communiter, tam istud Sacramentum, quam reliqua Sacramenta prodesse soli suscipienti; alijs verò non nisi cum hoc addito; occasionaliter, mediâtè seu indirectè; materialiter seu tanquam materiam actus meritorij, aut satisfactorij, vel alio modo æquivalenti.

Ad 1. Animaduersum iam est semel, atque iterum in quæstione præcedenti, & alibi, nullius esse roboris

paritates eiusmodi pro causis operantibus instrumentaliter, cum dependentia à voluntate instituentis specialiter libera. Deinde Sacramentum applicari sumptione, & sacrificium oblatione, est discrimen reale fundamentale deductum ex ipsa natura rei, vt obseruatum est art. 1. cum D. Thom.

Ad 2. Conceditur communicationem indirectè, & mediâtè prodesse alijs à communicante per superadditum opus operantis; sed negatur id sufficere, vt dicatur absolute communionem prodesse alijs; aut vt re ipsa prosit alijs ex opere operato. Quia si communicet, & nullum præterea actum meritorium, aut satisfactoriam superaddat, quantumcunque offerat communionem pro alijs, nullus propterea fructus in illos exinde redundabit, vt liquet ex dictis.

Artic. 1. Ad 3. D. Thomas, lect. 6. in cap. 6. Ioann. dicit, & quidem dicit optimè, communionem laici pro mortuis fieri per errorem. Quia iuxta veram sanamque doctrinam laicus, & clericus non sacrificans, non possunt prodesse mortuis communionem secundum se, sed per scotos actus communioni superadditos. Communio autem non supponit pro his actibus, nec eos complectitur, dum absolute dicitur ipsam fieri pro mortuis. Qua de causa, cum dicitur vnumquemque communicare pro animæ suæ bono; sensus nequaquam est, occasione communionis elici à communicante actus, quibus prosit animæ suæ, vt liquet ex ratione nuper ponderata art. 4. ad quæst. 1.

Artic. 2. Quod attinet ad viros Doctos approbantes, ac suadentes communionem laicorum pro mortuis; non est credibile viros vllos doctos, aut Doctrinæ, vtique studiosos loqui ad populum hac de re potuisse absque cautione necessaria in modo loquendi iuxta notissimam D. Thom. sententiam, & locutionem, sicut supra significatum est. Certè id fieri minime debuisset satis patet ex dictis. Argumenta porro nonnulla alia, quæ hinc inde leuiter, ac distortè corrasa sunt occasione huius contentions, non videntur talia quibus singillatim explicandis oporteat, aut deceat immorari. Constat enim, ex data generaliter distinctione, quid ad singula facile, ac sufficienter dici possit, & quomodo sit moderanda locutio, de qua potissimum habenda est ratio in hac materia. Nam de re ipsa conuenit iam apud omnes, quidquid initio controuersiæ peccatum fortè sit alterutra ex parte.

QVÆSTIO LXXI.

Vtrum sumptio constituat intrinsecè hoc Sacramentum?

Videtur constituere. 1. Quia in reliquis Sacramentis pertinent ad intrinsecam constitutionem eorum, actiones quibus materia, & forma applicantur, aut diriguntur ad eum qui suscipit Sacramentum. In hoc item Sacramento correspondet eiusmodi actioni applicatiuæ, seu directiuæ sumptio specierum simul cum corpore, & sanguine Christi. Eodem igitur modo, eademque ratione pertinet sumptio ad constitutionem intrinsecam huius Sacramenti.

2. Id omne pertinet ad constitutionem intrinsecam cuiusque Sacramenti quod pertinet ad constitutionem intrinsecam significationis gratiæ, quatenus conferendæ per idem Sacramentum, seu ratione cuius partialiter, aut totaliter redditur perceptibilis mediante sensu collatio gratiæ, inducendæ per Sacramentum. Sumptio autem corporis, & sanguinis Christi sub speciebus est pars intrinsecè constituens eam gratiæ significationem. Quia non percepta per sensum ea sumptione nullatenus, vel etiam probabiliter,

N n 4 cognosci

cognosci potest gratiam cuiquam conferri per istud Sacramentum; percepta verò per sensum sumptione, eo ipso cognoscitur gratiam conferri sumenti. Ergò sumptio est pars, vel maximè constitutiva significationis practicæ huius Sacramenti.

3. Omne obiectum sensibile, cui ex voluntate, & institutione Christi Domini tribuitur effectus Sacramenti, & à quo idem effectus propterea dependet, habet rationem formalem Sacramenti. Eoamque ipso est signum practicum gratiæ à Deo pro hominibus institutum. Sumptio autem est imprimis sensibilis, ut patet ex se, & præterea tribuitur ipsi, atque ab eadem dependet effectus Sacramenti ex voluntate, & institutione Christi Domini, ut patet ex illis eius verbis: *Qui manducat me, vivet propter me.* Hæc enim verba manifestè tribuunt vitam spiritualem manducationi, & nò soli cibo qui manducatur, atque illam constituunt dependentem ab ista. Ergò sumptio est Sacramentum totaliter, vel saltem partialiter.

4. Inter effectus huius Sacramenti vnus, isque præcipuus est coniunctio communicantis cum Christo. Sumptio autem confert formaliter se ipsa physicam coniunctionem communicantis cum Christo, & consequenter significat clarius, ac distinctius, significatione propriè sacramentali spiritualem inter, utrumque coniunctionem per gratiam. Habet igitur significationem, & effectum propriissimè sacramentalem, atque ideo est pars essentialis Sacramenti.

5. Sunt quædam quæ licet præsupponant Sacramentum adæquatè constitutum quoad essentiam, pertinent nihilominus ad intrinsecam ipsius constitutionem, tanquam partes eius integrales, substantiales. Quia videlicet pertinent nihilominus ad ultimum eius complementum, & perfectionem extensionem, ut apparet in Sacramento penitentiae integraliter constituto per satisfactionem longo etiam post tempore superadditam essentiae Sacramenti, iam adæquatè præexistenti, necnon in verbis illis consecrationis calicis; *noni & æterni, &c.* iuxta dicta supra quæst. 60. artic. 2. Ergò sumptio, quia similiter est ultimum complementum huius Sacramenti, dicenda est pars eius ut minimum integralis, ac substantialis.

Artic. 1. Respondetur. Triplicem huius Sacramenti sumptionem distinguit Conc. Trident. sess. 13. cap. 8. ex communi PP. Doctrina. Prima est purè sacramentalis, qua peccatores realiter physicè sumunt verum corpus, & sanguinem Christi cum speciebus immediatè sensibilibus, sed absque vllò fructu. Secunda est purè spiritualis, qua iusti solo voto, ac sincero effectu, *panem illum caelestem edentes fide viua, qua per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt*; perceptam utique ex opere operantis, iuxta mensuram bonitatis actuum, quos quisque exercet, & gratiæ, quam præhabet, influente Sacramento tantum obiectivè, ac intentionaliter per virtutem, quam habet maximam, ut superius dicebatur, ad excitandos consideratione sui sanctos charitatis affectus, & viua desideria circa realem perceptionem ipsius, & intimam cum Deo coniunctionem amicabilem, ad quam ea ordinantur. Tertia sumptio est sacramentalis, simul, & spiritualis, propria eorum, qui, ut dicit Concilium, *ita se prius probant, & instruunt ut vestem nuptialem indui ad divinam hanc mensam accedant.*

Artic. 2. In ista trimembri distinctione Concilij est obiter notanda confirmatio haud quaquam levis, conclusionis supra præmissæ in communi quæst. 26. Nempe hoc Sacramentum sicut, & alia Sacramenta virtutum, nunquam, ne quidem per accidens, conferre primam gratiam. Confirmatur autem primò, quia Concilium attribuit peccatoribus generaliter omni-

bus, absque vlla inter illos distinctione, aut exceptione, & non tantum peccantibus actu sumptionem purè sacramentalem; hoc est expertem omnis prorsus fructus spiritualis. Confirmatur rursus, quia sumptionem sacramentalem simulque spiritualem; idest secundam fructus spiritualis attribuit idem Concilium solis indutis vestem nuptialem, idest habentibus re ipsa, & non tantum existimantibus se habere gratiam sanctificantem. Aliud namque est indutum esse, aliud id existimare; atque Concilium exprimit indutum esse, idque vltra probationem, atque instructionem, quas exprimit, & præmittit seorsim Ergò istud Sacramentum nunquam, vel etiam per accidens confert primam gratiam, sed solum confert augmentum eius suscipienti antecessenter re ipsa iusto: sicut cibus corporalis, qui est symbolum gratiæ Eucharistiæ, confert augmentum, & conservationem viventis, & nunquam est, aut potest esse id vnde ducitur principium vitæ.

Artic. 3. Quod ad præsens attinet, manifestum est sumptionem purè spirituale non esse Sacramentum, nec partem Sacramenti. Quia est quid in se purè spirituale, ac insensibile, nec habet ex sua natura effectum vllum materiale, mediante quo reddatur sensibilis, neque ut eum haberet, subesset institutioni divinæ; quæ illi communicaret significationem practicam gratiæ, quandoquidem nulla talis institutio datur. De sola itaque sumptione Sacramenti, tum purè sacramentali, tum sacramentali simul, & spirituali dubitatur: an sit Sacramentum vel pars Sacramenti; de quo sunt variæ Theologorum sententiæ, iuxta numerum ferè, & insinuationem rationum dubitandi, quæ præmissæ sunt. Dicendum autem est, Sacramentum Eucharistiæ verè, & realiter præexistere secundum suam essentiam ante vsum, & sumptionem eius. Quæ est communis Theologorum sententia cum D. Thom. quæstion. 73. artic. 1. ad 3. ubi assignat discrimen inter hoc Sacramentum, & Sacramenta cætera, quòd hoc perficitur in consecratione materiæ; cætera verò in vsum eius. Et quæstion. 78. artic. 1. ad 2. docet sumptionem esse veluti actum secundum huius Sacramenti, & hac ratione pertinere ad extrinsecam perfectionem eius: sicut agere pertinet ad perfectionem agentis.

Artic. 4. Idem colligitur efficaciter ex Concil. Trid. in sess. 13. cap. 5. & 6. in quorum altero definit deberi huic Sacramento cultum, & reverentiam ante vsum, & sumptionem; in altero approbat consuetudinem asseruendi in sacratio, & deferendi ad infirmos Sacram Eucharistiæ, quod est nomen propriissimum huius Sacramenti, ut præmissum est quæst. 58. Neutrum autem subsistere posset, si hoc Sacramentum non præexistere verè, & realiter secundum suam essentiam ante vsum, & sumptionem ipsius. Idem præterea colligitur clarè ex eadem quæst. 58. necnon 59. 60. 61. Indè enim constat definitionem huius Sacramenti verificari adæquatè absque inclusionem sumptionis, & ante eandem existere totam materiam, & formam, & conuersionem materiæ remotæ in corpus, & sanguinem Christi adeoque præexistere totam essentiam Sacramenti.

Artic. 5. An nihilominus sumptio dicenda sit pars integralis huius Sacramenti, an verò pura eius applicatio, & conditio sine qua non, respectu gratiæ conferendæ? Dicalillus, & nonnulli alij censent esse quæst. de voce. Quod tamen approbandum minimè videtur. Quia quod est pars intrinseca Sacramenti, siue essentialis, siue integralis, habet partialiter rationem signi symbolici, & causæ respectu gratiæ ut liquet ex definitione Sacramenti; idque ipsum convenire minimè potest puræ applicationi, seu puræ conditioni sine qua non; neque istæ enunciationes

iones possunt accommodari ad significandam eandem rem, nisi corruptis definitionibus causae, & purae applicationis, puraeque conditionis. Verum illi auctores non satis exacte utramque definiunt, atque inuicem distinguunt, & ideo incidunt in istud inconueniens non confundendi, & pro eodem reputandi res quam longissime dissidentes inter se.

Artic. 6. Dicendum itaque rursus est sumptionem non exercere ullam causalitatem in gratiam, neque partialiter, neque totaliter, neque principaliter, neque instrumentaliter; atque ideo esse puram applicationem, puramque conditionem sine qua non. Et quidem est in confesso apud omnes; sumptionem non esse causam gratiae aut principalem, vel etiam partialiter, aut instrumentalem totalem; neque indiget probatione, cum appareat manifestè ex omnibus hucusque dictis circa naturam huius Sacramenti. Probatur non esse causam instrumentalem partialem. Quia, ut dictum est in communi quaest. 24, de conceptu causae instrumentalis est, ut virtute propria, & tanquam causa principalis, producat aliquem effectum, qui vel sit dispositio necessaria respectu effectus producendi à causa, comparatione cuius ipsa dicitur instrumentalis, vel conferat ad maiorem aliquam, atque specialem utilitatem eiusdem effectus respectu subiecti, in quod debet induci ab eadem causa, comparatione cuius ipsa habet rationem instrumenti. Neutrum autem horum praestare potest sumptio, respectu gratiae conferendae per hoc Sacramentum, & in ordine ad quem conuenit eidem Sacramento, ratio causae instrumentalis, qua utitur Deus, ut inducat gratiam eo modo, qui nobis maxime congruit estque specialiter utilis. Et quidem, quod non possit inducere dispositionem necessariam ad infusionem, & receptionem gratiae secundum se praecise consideratae, ex eo constat à fortiori, quia nullum Sacramentum inducit virtute propria talem dispositionem, ut dictum est loco proxime citato ex consensu Theologorum, & cum ratione clara.

Artic. 7. Quod autem neque producere possit aliquid, augens extrinsecè bonitatem, & utilitatem gratiae à Deo nobis conferendae per Sacramentum, ex eo conuincitur efficaciter; quia vnicus modus, quo id praestari per Sacramenta potest, est manducando ad specialem humano ingenio accommodatam cognitionem gratiae, atque inde excitando pios voluntatis affectus circa eandem gratiam, ratione symbolicae proportionis, conuenientis peculiariter vnicuique Sacramento comparatione donorum spiritualium, quae inducit, ut eodem illo in loco expositum est, & non obscure insinuat Concil. Trident. sess. 12. cap. 5. tradens illam ipsam doctrinam, & rationem utilitatis specialis, circa ritus, & caeremonias Sacramenti Eucharistiae, facile accommodabilem ipsi Sacramento, atque omnibus vniuersim Sacramentis. Sumptioni autem causalitas eiusmodi instrumentalis conuenire nequaquam potest vel etiam partialiter. Quia nullam habet rationem symboli, nullamque specialem proportionem, & analogiam cum cibo spirituali, seu cum gratia, quatenus nutriente animam, & fouente vitam eius, vigoremque spiritalem. Tota namque huiusmodi proportio, analogia, & ratio symbolica, conuenit adaequatè rebus, quae sumuntur, antequam sumantur; neque per ipsam sumptionem augetur, seu promouetur, aut perficitur aliqua ex parte eiusmodi affinitas mutuae inter ea extrema proportionis. Nempe sumptio materialis, nec totaliter, nec partialiter conferuat, auget, ac fouet, vitam, & vires corporales, ideoque nullam ratione sui exercet actionem correspondentem muneri intentionis gratiae, respectu animae; sed

solum habet rationem purae applicationis communem omnibus, & quibusuis applicationibus agentis ad passum. Itaque sumptio huius Sacramenti est sola, ac pura applicatio, & conditio sine qua non, ut Sacramentum ipsum inducat suum effectum, non verò est inductiua eiusdem, tanquam causa instrumentalis, vel partialis.

Ad 1. Actiones exteriores quibus perficiuntur caetera Sacramenta, habent specialem rationem sui proportionem symbolicam cum effectibus gratiae, quos illa praestant. Nec enim aqua sola emundat à maculis corpus, sed simul etiam actio ipsa absterfus, & impulsus adiunctus aquae, concurrunt ad id particulariter, tanquam causa emundationis. Similiter verba absolutionis, non liberant secundum se praecise à reatu sceleris, sed quatenus pronunciata ab habente legitimam potestatem, & sic de caeteris eiusmodi. Non autem concurrunt in hunc modum partialiter ad effectum nutritionis sumptio cibi, sed ut pura applicatio, & iuxta positio agentis ad passum sicut dictum est. Est igitur dispar manifestè ratio, quandoquidem vis supernaturalis sacramentaliter operandi, fundatur ex suo conceptu in virtute actiua, & causalitate naturali rerum, quae supernaturaliter eleuantur ad rationem Sacramenti.

Ad 2. Commune est causae cum conditione sine qua non, tum ut vtriusuis negatio inferat negationem effectus; tum etiam vtriusque existentia, atque cognitio inferat existentiam, & cognitionem effectus. Quapropter obiectio arguit defectuosè dum infert determinate rationem causae, ex praedicato indiscriminatim communi causae, cum pura conditione sine qua non. Praeterea posita institutione, & eleuatione panis, & vini in nutrimentum spirituale, & accedente deinde vtriusque consecratione, sumptio postremo superueniens significat naturaliter collationem gratiae, & non ex peculiari circa ipsam institutione, ac eleuatione; Vnde sumptio secundum se praecise considerata nullam habet significationem sacramentalem, sed solum ex natura rei; neque est signum gratiae proprie tale, sed latè, & improprie tantum. Eo scilicet modo quo causa necessaria, & eius applicatio ad passum, est signum effectus; & vicissim effectus ipse, est signum illorum; cum de ratione Sacramenti, & partis Sacramenti sit, esse signum proprie tale, ex institutione, & ad placitum, cum spirituali utilitate peculiari suae significationis ut dictum est.

Ad 3. Christus Dominus promittit vitam aeternam manducanti se, non quia manducatio, sed quia ipse per manducationem applicatus, est causa vitae aeternae. Perinde enim valet eiusmodi promissio; atque si diceretur. Qui accesserit ad ignem, calefiet. Nempe id genus locutionis proprie, & frequenter accommodatur purae applicationi, & conditioni sine qua non.

Ad 4. Constituto Christo Domino, ut subest specibus panis, & vini, in ratione cibi spiritualis, sumptio deinde superaddita praestat formaliter solam coniunctionem physicam inter sumentem, & Christum Dominum. At mutuam inter vtrumque coniunctionem spirituales nullatenus praestat ut causa, nec significat sacramentaliter ex institutione, & cum analogia peculiari, sed solum ex natura rei ut pura applicatio agentis ad passum, uti saepius dictum est, quia saepius decipit aduersarios defectus observationis huius, atque discriminis.

Ad 5. Non excluditur sumptio à partiali constitutione intrinseca huius Sacramenti, praecipue quia superuenit eidem Sacramento iam praexistenti adaequatè secundum suum conceptum essentialem, sed quia nihil significat, nihilque proinde operatur sacramentaliter,

mentaliter, neque in hoc genere; aut perficit, aut complet villo pacto, quæ iam præexistunt, vt ostensum est. Quod sanè non verificatur; atque de verbis illis supra calicem, vt eodem illo in loco demonstratum est, neque de satisfactione sacramentali poenitentia, vt patebit infra quæst. 84. artic. 3. Nulla igitur est partis ratio.

QVÆSTIO LXXII.

Virum omnis, & solus homo baptizatus existens in gratia, sit subiectum capax huius Sacramenti?

Videtur, nec omnis, nec solus esse capax. 1. Quia paruuli necnon adulti amentes à natiuitate, repelluntur à communione, tametsi baptizati sint, nec potuerint gratiam Baptismalem amittere. Ergò non omnis baptizatus existens in gratia, est subiectum capax huius Sacramenti.

2. Adultus iustificatus per actum contritionis ante baptismum, nullum habet impedimentum, quo minus recipiat effectum, & fructum huius Sacramenti, ipsumque Sacramentum. Quia iam supponitur viuens vita spiritali, ideòque capax cibi, & nutritionis spiritalis. Nec enim baptismus requiritur ratione sui, sed ratione sui effectus ad Sacramentum Eucharistiæ licitè, & cum fructu suscipiendæ. Solus namque effectus baptismi permanet, cum deinde suscipitur hoc Sacramentum. Idem autem est effectus contritionis, & Baptismi. Ergò non soli baptizati sunt capaces huius sacramenti.

3. Præter baptismum, & statum gratiæ requiritur actualis deuotio tanquam dispositio præcisè necessaria ad effectum huius Sacramenti. Primum quia requiritur specialis dispositio actualis pro receptione primæ gratiæ. Ergò etiam pro augmento eius. Deinde quia Sacerdotes quotidie celebrantes absque peccato lethali, simulque absque deuotione actuali, acquirerent, intra breue tempus, magnum, ac notabile augmentum gratiæ, & charitatis, ac proinde facerent notabilem in moribus emendationem, coniunctam cum eximio seruire spiritali. Hos nimirum effectus inducit ex natura rei charitas notabiliter aucta. Quia amor est actiuus quantum potest, vt dicit philosophus; atque hoc conuenit charitati supernaturali, in gradu multo magis excellenti. Sequela autem est contra experientiam, vt obseruat, & opponit Caietanus exigens propterea deuotionem actualem, tanquam dispositionem præcisè necessariam ad percipiendum fructum huius Sacramenti. Ergò non omnis baptizatus simulque iustus, est subiectum proximè capax sumendi hoc Sacramentum, sacramentaliter simul, & spiritaliter.

4. Ad hoc Sacramentum legitimè suscipiendum requiruntur plures præterea dispositiones etiam à parte corporis, vt est in confesso apud omnes. Ergò non sufficit status gratiæ cum baptismo præuiò.

Artic. 1. Respondetur. Soli imprimis homines sunt capaces sacramentalis sumptionis huius Sacramenti. Quia Angeli non sunt capaces manducandi, & bibendi, quæ tamen, ex dictis superius, sunt actiones, & quidem propriæ tales, quibus sumitur hoc Sacramentum. Bruta verò, nec actu, nec aptitudine percipere possunt significationem Sacramenti. Quod tamen è omnino necessarium, vt sumptio Sacramenti sit sacramentalis formaliter.

Ad 2. Deinde non omnes homines, sed soli baptizati sunt capaces suscipiendi hoc Sacramentum sacramentaliter simul, & spiritaliter, seu cum fructu.

Quia baptismus est ianua sacramentorum, vt fert axioma commune de quo supra quæst. 37. Ratio pro re præsentī specialiter manifesta est. Quia baptismus ex diuina institutione est Sacramentum regenerationis conferens sensibilibus primam gratiam abolutiuam peccati originalis, vt inibi dictum est ex Euangelio. Quare sicut non est capax cibi, & nutritionis naturalis, qui nondum est natus naturaliter: ita non est capax cibi, & nutritionis spiritalis sensibilibus percipiendæ, qui nondum est baptizatus; idest spiritaliter, simulque sensibilibus natus.

Artic. 3. Accedit Sacramenta esse veluti patrimonium filiorum Ecclesiæ, atque susceptionem illorum esse potestatiuam eius filiationis. Vnde quem nondum genuit, nec in suum gremium recepit Ecclesia per baptismum; non potest per reliqua Sacramenta confirmare, nutrire, &c. Consequenter non habent capacitatem percipiendi hæc bona, eorumque perceptione, protestandi Religionem Catholicam, qui nondum visibili huic, & sensibili Ecclesiæ visibiliter, ac sensibilibus sunt coniuncti, tanquam filij spirituales spiritali matri suæ. Vnde materialiter tantum, & absque villo fructu percipere potest, tam istud Eucharistiæ, quam cetera Sacramenta, qui non est baptizatus. Nempè quod in reliquis Sacramentis est, ea esse nulla, & nulliter percipi, in hoc Sacramento est percipi sine fructu, seu purè sacramentaliter, saltem si perceptio sit talis, tam actu, quam aptitudine, vt contingit in non baptizato.

Artic. 4. Demum commune quidem est huic Sacramento cum reliquis Sacramentis, vt non possit conferri cum fructu homini rationis compoti, nisi volenti ipsum ipsiusque effectum suscipere, vt dictum est in communi quæst. 33. Ceterum nihil præterea aliud est præcisè necessarium, vt hoc Sacramentum conferat augmentum gratiæ homini baptizato, & constituto in statu gratiæ, si suscipiat Sacramentum, antequam amittat gratiam. Licet enim multa alia requirantur, vt suscipiatur licitè hoc Sacramentum ea tamen requiruntur sola necessitate præcepti; ita vt peccet, & peccato impediatur effectus Sacramenti, qui scienter, & liberè ea prætermiserit: non tamen ita necessaria sunt ex natura Sacramenti, & effectus Sacramenti, vt si inculpabiliter eadem omittantur, impediatur nihilominus ea præcisè de causa, effectus Sacramenti. Quia qui non habet peccatum lethale, nullum utique habet impedimentum vterioris gratiæ in se suscipiendæ. Causa autem, quæ præcontinet in se effectum aliquem, inducit illum in quolibet subiecto non impedito, quoties, & quocumque illi applicatur.

Artic. 5. Accedit dispositionem ab Apostolo requisitam vt *probet seipsum homo*, accipi à Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. de sola probatione liberante hominem à conscientia peccati lethalis per confessionem ipsius, siquidem conscius sibi fuerit de illo antea commissio. Quare quælibet alia præterea dispositio exigitur absque sufficienti fundamento. Omnis igitur, & solus homo baptizatus, ac iustus est capax, qui sumat hoc Sacramentum cum fructu, seu sacramentaliter, simul, & spiritaliter.

Ad 1. Paruulis & nonnullis aliis, tametsi baptizatis ac iustis negatur sacra communio ex præcepto Ecclesiæ, iustas ob causas. Ceterum si de facto admittantur ad communionem retento statu gratiæ vt admittantur paruuli in Ecclesia primitiua, obtinebunt effectum Sacramenti, vt dictum est, licet minister futurus sit reus peccati. Ad secundum patet ex dictis supra art. 2. & 3.

Ad 3. Necessitas deuotionis actualis, pro percipiendo fructu huius Sacramenti, non probatur sufficienter. Ad priorem namque probationem dicitur actum